



880. J. J. J. J. J.
Q. D. B. V.

POSITIONES PHILOSOPHICAE

DE

**PHILOSOPHIA
IN GENERE**

QVAS

PRÆSIDE

IOH. ALBERTO SPISIO

PHILOS. D. ET P. P. E.

IN ORDINE CIRCVLARI

AD DISPVTANDVM

PROPONIT

DANIEL FRIDERICVS LOCHNERVS

FVRTHO-NORICVS

D. XVIII MARTII A. MDCCCXXXIII.

ALTORFII

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.



POSITIONES PHILOSOPHICAE
DE
PHILOSOPHIA IN GENERE.

I.



Philosophiae operam daturum prius nosse oportet, unde nomen philosophiae descendat.

II.

Quod sicut de iure suo in principio Digestorum movit Ulpianus Ictus, ipsaque ratio suadet, nominis notitiam praecedere debere cognitionem rei; sic ad philosophiam, et multo quidem magis, accommodare licet, quod hic non tantum, ut in iure, attendenda est vocis origo Grammatica, sed etiam Historica.

III.

Dicitur autem philosophia ἀπὸ τῆς φιλεῖν σοφίαν, unde de proprie notat amorem vel studium sapientiae, et philosophus est, qui amat atque expetit sapientiam.

IV.

Natales suos haec nomina debent Pythagorae Samio, qui primus, plurimorum auctorum consensu, (*) se philosophum nominavit in sermone cum Leonte principe Phliasiorum, eamque appellationem cum veteres *sophorum* sive sapientum titulo commutavit.

V.

Vtrum modestiae causa, ut plerique existimant, an vero, quod suspicantur alii, ex ambitione, id fecerit Pythagoras, incertum est; posterius tamen probabilius videtur: certe modestia non fuit nisi affectata.

A 2

VI.

(*) Vid. praeter Ciceronem, Valer. Max. L. VIII, c. 7, Diog. Laert. in Proem. *legim.* 12, aliique, quos laudat Aegid. Menagius, *ad h. l.* et Schefferus, l. 62

VI.

Vtuncque est, defendi potest Pythagoras, quod satis causae habuerit, cur novum philosophi nomen adoptaret; quamvis ratio, quam ipse huic rei praetexuisse fertur, infirma admodum sit et nullius momenti.

VII.

Scilicet, cum ante Pythagoram sapientes qui dicebantur, sibi potius, quam aliis, saperent, nec discipulos haberent proprios, aut philosophiam, velut certum, ac peculiare et distinctum a ceteris vitae communis, sectarentur genus; ipse primus, quae apud alios peregrinatione diuturna didicerat, tradere posteris instituit, doctrinamque suam, discipulis collectis et aperta schola, veluti usendam aliis dare.

VIII.

Nova autem cum haec esset consuetudo, hocque vitae genus singulare, novo quoque ac peculiari opus erat nomine, quo ab aliis distingueretur.

IX.

Haec causa rei *iustificata*, cui et occasio, quam ex Heraclide Pontico refert Cicero, *Lib. V Tusc. Quaest. c. 3*, haud obscure fauet: unde immerito reprehendi putamus hoc Pythagorae factum, quidquid demum sit de causa illa *suasoria* et *impulsiva*.

X.

Ex intentione igitur Pythagorae non minus, quam vocis notatione, differt philosophia a sapientia, nihilque hoc nomine innuitur aliud, quam certa quaedam extra civiles occupationes in solo sapientiae studio posita vivendi ratio, a Pythagora primum in Graecia, exemplo aliarum Orientis gentium, instituta, et sic primum nuncupata, recte definiente Joh. Scheffero, *de Nat. et Constit.*

stit. Philos. Ital. Cap. VI: et philosophi adeo sunt, quos simile vitae genus sectantur. Hinc philosophus apud veteres identidem opponitur politico.

XI.

Manavit inde nomen illud ad omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, ita tamen, ut discrimen inter σοφόν et φιλοσοφόν, a Pythagora factum, non semper fuerit observatum; sed usu paulatim venit, ut posterius hoc nomen aequae magnificentiae videretur, ac antea prius, et philosophia ipsam tandem significaret sapientiam.

XII.

Hinc, quemadmodum olim voces σοφός et σοφία, sic et philosophiae vocabulum varia ratione usurpari coepit. (*)

XIII.

Inter plures ambiguitates pervulgata est illa, quae hodie in Academiis Theologiae quidem, et Iurisprudentiae, itemque Medicinae, opponitur, artes tamen, quae vocantur, liberales et literas humaniores ambitu suo includit: quae significatio vero, sicut cum ipsa illa quadripartita eruditionis divisione, seculis barbaris, et casu magis, quam consilio certo, invaluit, ita nullo quoque, pariter ut haec, idoneo nititur fundamento.

XIV.

Rectius utique veteres, tam Graeci, quam Romani, philosophiam semper sollicitè distinxerunt ab artibus liberalibus, totumque adeo doctrinae orbem in duas partes, παιδείαν et προπαιδείαν, accurate dividerunt: quamvis, inter artes liberales subinde retulerint disciplinas,

(*) Videantur de variis hisce significatibus *Observ. sel. Hal. Tom. VI, Observ. XXI*; *Christ. Thomae. Introd. ad philos. ant. C. II*; et inprimis Heumannii *Art. Philos. P. I, Cap. II*.

quae revera ad philosophiam spectant, nec de numero earum inter ipsos satis convenerit.

XV.

Hoc sensu etiam nos philosophiam capimus, pro scientia, non tantum a Theologia et Iurisprudencia, sed etiam ab Historia, Poesi, Rhetorica, aliisque artibus liberalibus diversa et distincta. Medicinam vero partem esse philosophiae, neque ulla ratione ab ea segregari posse, ex sequentibus patebit.

XVI.

Non solum autem ipsa sapientia philosophiae nomine venit, sed interdum etiam doctrina sapientiae, vel viva voce, vel per literas tradita. Ita philosophiam dicimus *Aristotelicam*, *Stoicam*, *Epicuream*, *Cartesianam*, alias.

XVII.

Inde distinctio nata philosophiae in *habituaem* et *systematicam*. Haec in docente est effectus prioris, et in discente illam rursus producit.

XVIII.

Reperitur quoque philosophiae nomen in plurali numero, et tunc vel disciplinas philosophicas, vel sectas philosophorum denotat.

XIX.

Quod Germanis usu receptum est, vocabulum *Welt* / *Weisheit* / satis utique incommodum est, nec philosophiae designandae convenit, sive illud a voce *Welt* / sive cum nonnullis a Druidibus veterum et a voce *Wald* / ingeniose magis quam vere, derivare velis. Interim tamen propterea hoc nomine omnino abstinendum esse, non existimaverim cum Auctore *Act. Philos. P. II, C. IV*; quamvis de origine huius appellationis ibidem demon-

strata

strata ipsi prorsus assentiar. Valet enim et hic tritum illud: *in verbis sumus faciles, modo conveniamus in re.*

XX.

Ad ipsam igitur rem quod attinet, variae quidem, tum veterum, tum recentiorum, extant philosophiae definitiones; pleraeque tamen, inprimis quae apud veteres occurrunt, descriptiones tantum vel elogia potius philosophiae dicendae sunt, quam verae definitionis loco habendae, nec tam naturam atque indolem philosophiae expriment, quam finem potius praecipuum et ultimum, aut effectus quosdam praestantiores.

XXI.

Differunt etiam in eo, quod aliae ad philosophiam in proprio sensu de studio sapientiae dictam pertinent, aliae vero philosophiam, quatenus ipsam sapientiam notat, describunt.

XXII.

Prioris generis sunt, quando philosophia dicitur *μελέτη θανάτου, καὶ χωρισμός ψυχῆς ἀπὸ σώματος*, *meditatio mortis et separatio animae a corpore*; *λύσις καὶ περὶ αὐτὴν ψυχῆς ἀπὸ σώματος*, *solutio animae a corpore et conversio*, scilicet ad ea, quae revera sunt; item *ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν ἀνθρώπων*, *assimilatio Dei, quatenus homini possibile*; *ἵνεκ τῆς ἀληθείας καὶ ὁρεξίς*, *indagatio veritatis et cupido*; et similes.

XXIII.

Ad posteriorem classem pertinet illa Pythagorae, ut fertur, definitio, quod philosophia sit *γνώσις τῶν ὄντων ἢ ὄντα εἶναι*, *cognitio entium, qua entia sunt*; (*) item altera illa, de qua deinceps dicemus *Pos. XL*. aliaeque.

XXIV.

(*) Quam definitionem eruditissime explicat Iac. Thomaeus, in *Originibus Philosophicis*.

XXIV.

Ex recentioribus prae ceteris notanda est definitio Cel. Wolfii, cui philosophia est *scientia possibilium, quatenus sunt possibilium*; quae reapse cum Pythagorica illa convenit, quam modo adduximus, et a definitione *entis* atque *essentiae* ab auctore tradita pendet. Quid vero de hac definitione sentiendum sit, ex sequentibus apparebit.

XXV.

Qui philosophiam in genere omnino definiri posse negant (*), propterea quod non unica et simplicissima eius sit essentia, sed plures simul disciplinae in ea colligantur veluti in unum fasciculum et aggregentur; manifeste produnt, laborare se vago illo et confuso conceptu, quo non tam ex ipsius rei consideratione, quam vel ex consuetudine, vel propter Aristotelis, aut aliorum philosophorum auctoritatem, varii habitus sub communi philosophiae nomine comprehenduntur, et in unum quasi rediguntur corpus: dumque errare putant eos, qui philosophiae accuratam definitionem aut dari posse existimant, aut solícite inquirunt, ipsi potius non parum falluntur.

XXVI.

Hoc tamen certum est, definitionem philosophiae *realem* formari non posse, nisi prius de *nominali*, sive quo sensu illa definienda sit, constet. Homonyma enim quatenus talia non possunt definiri. Hinc et nos reali, quam daturum nunc sumus, *nominali* iam praemisimus. *Posit. XV.*

XXVII.

Cum vero philosophia, quocumque etiam accipiatur sensu, ad sapientiam referatur; (X. XI. XVI.) ad *veram philosophiae* notionem eruendam, ante omnia videndum, quid sapientiae nomine intelligatur.

XXIIX.

(*) Fecerunt hoc ex recentioribus Aristotelicis imprimis non pauci.

XXIIX.

Sapientia proprie nihil aliud est, quam viva cognitio veri et boni.

XXIX.

Est cognitio, adeoque perfectio mentis: quo plura enim, et quo melius res cognoscimus, eo magis illustratur et perficitur intellectus noster; et intellectus divinus, qui omnia prorsus adaequate cognoscit, omnium etiam est perfectissimus.

XXX.

Quid verum, quidque bonum sit, nihil attinet hic pluribus explicare. Id tantum monuisse sufficiat, per verum in hac definitione a nobis potissimum intelligi veritates *theoreticas*, per bonum veritates *practicas*, utraque tamen ad veram hominis felicitatem spectantes.

XXXI.

Cognitio harum veritatum, alia *simplex* est et *vulgaris*, quae vel sola experientia, vel memoria tantum nititur, qualis vulgi fere esse solet; alia *acroamatica* seu *systematica* et *solida*, quae iudicio et ratione inprimis constat, atque uno nomine *eruditio* solet vocari.

XXXII.

Viva autem, non nuda aut otiosa, esse debet cognitio ista, hoc est, talis, quae animum moveat, et re ipsa vim suam atque efficaciam demonstret: quod cum in utraque hac cognitionis specie locum habeat, utraque etiam ad sapientiam haud dubie potest referri.

XXXIII.

Sapientis igitur est, non modo nosse bona et mala, eaque, pariter ut verum a falso, rite ac promte posse discernere, sed etiam illa eligere, haec evitare, atque adeo fines rerum actionumque suarum ita dirigere, ut illud inter se, tum etiam cum mediis, ad bonum, quoad licet, obtinendum pulchre conspirent.

B

XXXIV.

XXXIV.

Haec vera sapientiae notio, qualis et in Deum, et in homines cadere potest, in Deum tamen gradu longe eminentiore atque omnium perfectissimo.

XXXV.

Nec aliter fere in sacris literis sapientia plerumque describi aut intelligi solet. (*)

XXXVI.

Opponitur sapientiae huic tum *stupiditas*, quando vel cognitione veri et boni omnino quis destituitur, vel *faltē*, ex iudicii defectu, verum a falso, bonum a malo, non satis discernere potest; tum maxime *stultitia*, quando animus, ista licet cognitione imbutus, bonum tamen non sequitur, sed malum prae illo eligit.

XXXVII.

Ex dictis etiam apparet, quomodo *sapientia* et *eruditio* in genere differant. Nimirum sapientia latius patet eruditione, ita tamen, ut nec omnis sapientia eruditio dici possit, nec vicissim omnis eruditio sapientiae nomen mereatur, sed tunc demum, ubi viva est cognitio. (XXXI. sequ.)

XXXVIII.

Enimvero haec sapientiae notio in philosophiam non satis quadrat. Quod ut rite intelligatur, distinguendum hic est inter philosophiam in *abstracto*, quod dici solet, et in *concreto* consideratam; sive qualis esse potest, ac pro fine suo, aequae ut omnis cognitio, etiam debet, et qualis plerumque est, et a prima sua origine inter homines fere semper fuit.

XXXIX.

Priore modo si spectetur, ad perfectam philosophiae et philosophi ideam omnino requiri illam sapientiae notionem

(*) Vid. Gen. III, 5, 6; Job. XXVIII, 28; Psalm. CXXI, 10, item Proverb. IX, 10; et alibi passim.

tionem, nullum est dubium, neque adeo negari potest, cognitionem philosophicam, quanto magis et ipsa viva atque efficax est, tanto sane meliorem praestantioremque esse.

XI.

Verum posteriore respectu aliter se res habet. Dantur enim hoc sensu sapientes, qui non sunt philosophi; et dantur vicissim philosophi, qui non sunt sapientes. Unde manifestum est, aut ad sapientiam omnino et simpliciter referri non posse philosophiam, aut, cum haec nihilominus eo referatur (XXVII.), laxandam non nihil esse sapientiae notionem, si philosophiae in concreto etiam sine exceptione convenire debeat.

XLI.

Atque adeo huc potius pertinet illa veterum philosophorum definitio, quibus sapientia dicta est *γνώσις θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων πραγμάτων*, *notitia rerum divinarum humanarumque*, vel, secundum Ciceronem, *Lib. II de Offic. c. 2, rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, scientia.* (*)

XLII.

Per res divinas in hac definitione intelliguntur tum ipse Deus, eiusque attributa, tum res a Deo conditae et naturales: humanarum autem nomine ipsae veniunt actiones humanae sive *τὰ πρᾶγματα*.

XLIII.

Dubitari quidem potest, utrum huius potius, an prioris, sapientiae significationis in definitione philosophiae ratio sit habenda, et annon satius fuerit, in abstracto tantum, non in concreto, hic spectare philosophiam. Sed nobis contra videtur; tum, quia posterior defi-

(*) In eundem modum Seneca, *Epist. LXXXIX: Sapientia est nosse divina et humana, et horum causas*; cui tamen supervacua videtur haec de causis adiectio, quod *causae divinarum humanarumque partes sunt*.

definitio generalis est, et philosophiae simul utroque modo consideratae convenit; tum etiam, quod in ceteris disciplinis definiendis eas pariter absolute tantum, prout partes sunt eruditionis, spectare solemus, non vero quatenus ad sapientiam vere ac proprie talem possunt ac debent referri.

XLIV.

Iam, ut ad definitionem philosophiae tandem accedamus, observandum, sapientiam esse vel naturalem, vel acquisitam.

XLV.

Naturalis soli Deo competit; acquisita hominibus propria, et comparatur ope vel rationis, vel revelationis.

XLVI.

Revelatio vel est divina, vel humana: illa theologiae; haec iurisprudentiae civilis et historiae fundamentum.

XLVII.

Quae per rationem acquiritur sapientia, vel simplex est et *empirica* tantum, vel *scientifica* et *theoretica*. (XXXI.) Atque haec posterior est, quam philosophiam appellamus.

XLVIII.

Philosophia igitur est scientia rerum ad veram felicitatem utilium, ex ipsis rerum ideis per rationem derivata.

XLIX.

Nunc ad explicandam illustrandamque hanc definitionem esset progrediendum; tum et partes philosophiae et divisiones variae recensendae.

L.

Sed telam hanc, exercitii disputatorii tantum causa inceptam, nunc abrumpere cogimur, alio tempore fortasse pertexendam.

